



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

33. Modestia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



*Aspirationes.*

I. O quis non libenter taceat ! Quis multum loqui non reformidet ; cum de omni verbo otioso , in die iudicii , reddenda sit ratio. Matth. c. 12. 36.

II. Heu ! quoties inter homines fui , minor homo redii : vellem me pluries tacuisse , & inter homines non fuisse. Thom. Kemp.

III. *Pone , Domine , custodiam ori meo , & ostium circumstantia labiis meis , ut non delinquam in lingua mea.* Ps. 140. 3.

P A S S U S   X X X I I I .

Modestia.

T E X T U S .

*Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ad Phil. c. 4. 4.

*Cognitio.*

**M**odestia est virtus , quæ externa hominis membra & actiones , juxta statum cujusque decentiam moderatur.

Actus à S. Ignatio assignati :

- I. Caput huc , illuc leviter non moveatur ; sed cum gravitate , ubi opus erit : & si opus non sit , teneatur rectum , cum



moderata inflexione in anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo.

2. Oculi demissi, ut plurimum, teneantur; nec immoderatè eleventur, nec in hanc aut illam partem circumstantur.
3. Inter loquendum cum hominibus, præsertim alicujus authoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potiùs sub oculos.
4. Rugæ in fronte, ac multò magis in naso, evitentur; ut serenitas exteriùs cernatur, quæ interioris sit indicium.
5. Labia sint nec nimis compressa, nec nimis diducta.
6. Tota facies hilaritatem potiùs præferat, quàm tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.
7. Vestes sint mundæ, & cum decentia compositæ.
8. Manus, si non in sustinenda veste occupentur, quietè teneantur.
9. Incessus sit moderatus, sine notabili festinatione: si necessitas urgeret; in ea tamen, quantum fieri potest, decoris ratio habeatur.
10. Omnes denique gestus ac motus ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant. Si loquendum sit, meminerint modestiæ & ædificationis,



tum in verbis, tum in ratione ac modo loquendi.

*Consideratio.*

O quis recenseat, quanta ex modestia insigni in hominem commoda & emolumenta promanent? I. Modestia bonum nomen & famam conciliat. II. Dei gloriam auget. III. Salutem proximi promovet. IV. Salutem propriam conservat. V. Templum Spiritus sancti, quod sumus nos, exornat. VI. Apud alios nostri amorem generat. VII. Denique *Finis modestia timor Domini, divitiarum & gloria.* Proverb. c. 22. 4. Quem igitur modestiæ se totum dedere pigeat?

*Petitio.*

O candor lucis æternæ, JESU CHRISTE, speculum omnis honestatis, decentiæ & modestiæ! Gratiam mihi, quaeso, copiosam tribue, ut in omni gressu & incessu; in oculis & labiis; in manibus & pedibus; in locutione & risu; in vestibus & moribus; in motibus denique, & in omnibus actionibus, modestiam singularem præ me feram, ad gloriam tuam, & proximorum ædificationem.

*Aspirationes.*

I. Impleamus, Domine, Apostoli tui monitum: *Induite vos sicut electi DEI modestiam.* Ad Coloss. c. 3. 12.



II. Utinam Divi Augustini sequeremur doctrinam: *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem.* In Reg.

III. Redemptor mi modestissime, doce me servare regulas modestiæ.

## EPILOGUS VIÆ ILLUMINATIVÆ.

**O**btentis, ope Examinis Particularis, uti & Cognitionis, Considerationis, Orationis, & Aspirationis, antedictis Virtutibus; magnam ædificii spiritualis partem exstruximus; magnam partem horti florum perfecimus; illudque Jeremiæ implevimus: *Constitui te, ut ædifices & plantes, c. 1.* Jecimus enim fundamentum, quod in virtutibus Theologicis est fides, in moralibus, humilitas: ereximus parietes, scilicet reliquas virtutes; at nunc denique tectum imponendum est, nimirum charitatis. Purgavimus hortum à vitiorum lolio; plantavimus flores virtutum; nunc florum regina, velut corona imperialis, pro coronide inferenda restat, nimirum dilectio, seu divini flamma amoris; cujus semitam nobis ostendere, aperire, ac per eam nos deducere dignetur Deus, qui est charitas, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Joan. 4. 16.*

TER.